

chab. illud approbet. Nam, quando *Raziam* ait, *nobiliter*, seu ut textus graecus habet, *εὐγενῶς* *generose* egisse, tantum refert eius animositatem, factum autem ipsum non approbat ut licitum, et multo minus ut pium et sanctum. Quae sententia si vera est, per se patet, in Libro II Machab. in facto *Raziae* non approbari aliquid verae religioni contrarium. Secunda sententia quae non paucis, ac etiam mihi probabilior videtur, est, quod *Razias* excusari possit, eo quod sui occisionem in talibus circumstantiis putarit esse licitam, sibi que persuaserit, esse melius, ad legis divinae honorem sic mori, quam inter opprobria eiusdem tristissimam vitam extendere; vel (quod valde verisimile est) quia divino instinctu, in variis N. T. martyribus non infrequenti, ad hoc facinus se moveri senserit; certe et rationes anteactae vitae *Raziae*, et eiusdem vires supra modum in hoc facto auctae prolata verba et extrema eius oratio, qua plenus fide in resurrectionem futuram *invocavit Dominatorem vitae ac spiritus* (1), et intestina cum vita proiecit, benigniorem de hoc facinore sensum persuadere possunt. Plura in favorem *Raziae* vide apud *Tirinum* (2), *Lyranum*, *Serarium*, aliosque, qui hanc secundam nostram sententiam sequuntur.

Neque nos absterrere debet auctoritas s. *Augustini*, et s. *Thomae* contrarium propugnantium. Nam s. Praesul hipponensis, et alia quaedam in genere morum scripsit, quae nemo nunc admittit: et praeterea singulares causas habuit, cur *Raziae* factum improbaret. Volebat enim *Circumcellionibus* haereticis

(1) II. Mach. c. 14, v. 46.

(2) Comment. in II. Mach. c. 14, v. 44.

(3) Loc. cit.

in Africa effugium praecludere, qui cum sese vel flammis iniicerent, vel mergerent aquis, vel praecipites erupe darent etc. ubique *Raziam* obtendebant amentiae suae. Istis igitur diversa via occurrendum censuit s. *Augustinus*. S. *Thomas* vero, plerumque sequens s. *Augustinum*, non affert hic nova argumenta nobis contraria.

Denique etiam illud probe notandum, quod falsum esset, nobiliter seu generose egisse *Raziam* seipsum occidendo, nisi Spiritus s. instinctu id egisset; cum prorsus abiecti pusillique animi sit *ἀνοχρησία*, id est, suiipsius occisio, testibus non solo *Augustino*, et *Lactantio*, aliisque christianis; sed et *Aristotele*, *Euripide*, *Virgilio*, et aliis gentilibus a *Lipsio* et *Serario* citatis; prout *Tirinus* (3) recte observat. Cum igitur s. Scriptura (4) factum *Raziae* laudet tanquam nobile et generosum, omnino dicendum videtur, illud ex inspiratione divina contigisse. Ita etiam sentit *Menchius* (5) dicens: « Impulsum fuisse (*Raziam*) a Spiritu s. ad mortem sibi ultro inferendam, ex illo colligi videtur, quod sacer textus factum non solum narrare, sed etiam commendare videtur. » Verum satis de *Razia*.

202. In *Eleazaro* autem excusando, imo ob factum suum laudando nulla est difficultas. Licuit enim *Eleazaro* utpote militi, se in hoc periculum coniicere: quia haec non fuit *directa* sui occisio seu cum intentione incurrendi mortem tanquam finem, aut eam eligendi tanquam medium in ordine ad alium finem; sed fuit solum *indirecta* sui occisio, quae fit, quando mors neque intenditur tanquam finis, neque

(4) II. Machab. c. 14, v. 42.

(5) Comment. in II. Mach. c. 14, v. 42.

eligitur tanquam medium ad alium finem, ponitur tamen actio aliqua, ex qua mors praevideatur esse secutura; quamvis ea, ut dixi, non intendatur, sed solum permittatur. Iam autem eiusmodi indirectam sui occisionem quandoque gravi et ex iusta causa esse licitam, theologi (1) passim docent et probant. Igitur *Eleazarus* licite subiit grave illud mortis periculum ut (2) liberaret populum suum, et acquireret sibi nomen aeternum tum apud Deum tanquam proevium virtutis, tum apud homines, ita ut pro fine primario habuerit gloriam Dei, et salutem populi sui, gloriam autem apud homines solum pro auctario. Adde quod non fuerit omnino certus, elephantem vel illico, vel ita corruturum, ut neutrum ad latus declinaret (3): adeoque potuit habere aliquam spem mortem evadendi, etiamsi bestiam occideret. Laudandus igitur omnino et aeterna memoria dignissimus *Eleazarus*: qui ex regiis insignibus, elephanto ratus invehit regem puerum (*Eupatorem*), eiusque morte sperans se populo Dei stabilem pacem ac libertatem pariturum, simulque veram se apud Deum laudem inventurum, et gratam sui apud posteros memoriam; contempto vitae periculo, per medios hostium cuneos aperta caedibus via, ardens et victor perrupit ad belluam, et sub huius pedes subiens, defosso in intestina gladio, mole cadentis obru-

(1) Vide ex. gr. Theologiam dogmatico-speculativ. cl. *Monschein* tract. 5 de legibus, iure et iustitia, n. 256, 259 et 260.

(2) I. Mach. c. 6, v. 44.

(3) Vide *Calmeti* commentar. in I. Mach. c. 6, v. 44.

(4) L. 1 Offic. c. 40, ubi iste s. Pater de memorato *Eleazari* facto ita loquitur: « Quanta igitur ista virtus animi? Primo, ut mortem non timeret; deinde ut circumfusus legionibus inimicorum in con-

tus, tumulum sibi de victoria sua fecit. Certe tantam animi virtutem summis laudibus celebrat s. *Ambrosius* (4) et *Calmetus* (5) ait, non citra temeritatis notam *Eleazari* factum tam magnanimum damnari posse.

203. QUÆRES XVII. An exemplo *Raziae* (2 Mach. 14, v. 41 et 42) seipsum occidentis, furor mortalium, sibi ipsis violentas manus inferentium, merito se tueatur? R. Negative. Nam etsi *Razias* non peccasset (de quo disputant, ut praeced. quaest. XVI, num. 201 vidimus), an ideo sequeretur, etiam alios, qui se, nostra praesertim aetate, frequenter perimunt, non peccare? Aut ubi sunt argumenta, quibus (quemadmodum de *Razia*) solide probari possit, quod id ex ignorantia invincibili, vel ex speciali Dei instinctu faciant, aut fecerint?

204. OBICIT auctor *Commentarum in tractatum Beccariae de delictis et poenis, Philadelphiae*, ut titulus habet, *impressus*: qui quidem non alius esse dicitur, quam *Voltaire* ac ita argumentatur: Licet sibi necem consciscere alterius causa, videlicet principis aut patriae; igitur et sui causa id licebit. R. Non licet sive principis sive patriae causa se *directe* (6) occidere; verum periculo exponere se, cadendi manu aliena, ut supra (7) explicatum est. Sic docet ius naturae: et *dominus de Voltaire*, regum *positivarum* contemptor, saltem hoc minime debebat ignorare.

sertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, et contempta morte ferocior, abiectō clypeo, utraque manu vulneratae molem bestiae subiret ac sustineret: post infra ipsam succederet, quo pleniori feriret ictu; cuius ruina inclusus magis, quam oppressus, suo est sepultus triumpho.

(5) Comment. in I. Mach. c. 6, v. 44.

(6) Vide praeced. num. 202.

(7) Ibidem.

INSTAT idem auctor, et addit, in bibliotheca regia Parisiis servari librum viri sancti, qui plane defendat, sibimet illatam mortem posse variis de causis culpa vacare. R. Et quaero: Quis est ille vir sanctus, quem antesignanus deistarum aris imponit? Respondet cl. Weissembach, et ait: Abbas Sancyranus. Verum, quis abbas Sancyranus fuerit, et quam parum, imo nihil ex eo probari possit, eruditi catholici omnes norunt. OBICIET alius: Si solus Deus est dominus vitae, cur ergo princeps vel magistratus cuiquam vitam admittit? R. Quia potestas publica, et legitima in suppliciis, est a Deo, testante apostolo (1): *Non est potestas nisi a Deo* *Si autem malum feceris, time: non enim sine causa* (princeps, vel is, qui potestatem publicam habet) *gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.* E contrario, unde adversarii probant, Deum etiam concessisse homini potestatem et licentiam seipsum directe occidendi?

205. QUARES XVIII. *Quomodo θεοπνευστία, seu inspiratio divina auctoris libri secundi Machab. conciliari possit cum sequentibus suis dictis aut factis. Quod (c. 2, v. 27) dicat, se in conscribendo hoc libro SUSCEPISSE NON FACILEM LABOREM, IMO VERO NEGOTIUM PLENUM VIGILIARUM ET SUDORIS. II. Quod (cap. ult. v. 39) petat veniam suorum errorum: SIN MINUS DIGNE scripserit. III. Quod sibi id adscribi velit, non alteri: CONCEDENDUM EST MIHI. IV. Quod sibi ipse diffidat, an semper verum scripserit; quia (ibidem) ait: SI, UT HISTORIAE COMPETIT, MINUS DIGNE scripserim, CONCEDENDUM EST MIHI: atqui veritas historiae competit: ergo de hac dubitat. V. Quod fateatur, se non*

(1) Ad Rom. c. 13, v. 1 et 4.
(2) Ioan. c. 11, v. 51.

puram veritatem scripsisse; nam suam historiam (cap. ult. v. 40) comparat nec puro vino, nec purae aquae, sed VINO AQUAE MIXTO, ut graecus textus habet οἶνος ὕδατι συγκρασθεῖς: Sed hoc mixtum non est purum vinum: ergo nec haec historia est pura veritas. Tandem VI. Quia non habemus exemplum, alium Scriptorem sacrum sic veniam petisse, aut ignorasse, se ex inspiratione divina scribere, vel loqui. Quomodo ergo his omnibus non obstantibus, θεοπνευστία auctoris libri secundi Machabaeorum salvari poterit? R. Nihilominus salvari potest. Nam AD PRIMUM cum Xav. Widenhofer, Simonnet, et aliis dicimus, auctorem huius libri fuisse quidem vere θεοπνευστιον ut nobis ex definitione ecclesiae constat, id vero eum nescivisse, sicut nec Caiphas scivit, quando (2) a semetipso hoc non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit, quod IESUS moriturus erat pro gente. Sic aliquibus videtur, nec s. Lucam scivisse, se esse θεοπνευστον seu a Deo inspiratum, cum (3) ait, se narraturum, sicut tradiderunt apostoli. Quodsi autem auctor libri secundi Machab. id pariter nescivit, sine dubio, inspirante eodem s. Spiritu, ex humilitate veniam petere potuit, si minus digne scripsisset. Quodsi tamen eius verba recte considerentur, maxime ex originaligraeco, nequaquam petit veniam de erratis contra veritatem, sed tantum, si minus eleganter scripserit. Nimirum hic notandum est, Spiritum s. non semper verba singula, verborumque constructionem scriptoribus sacris inspirasse, sed saepe tantum sensum, qui est anima scripturae. Id patet tum ex diversissimo stylo prophetarum, tum ex sententiis iisdem diverso in loco saepe

(3) Luc. c. 1, v. 2 et 3.

diversa phrasi prolatis, maxime, iis quae ex V. T. desumptae, ac in N. T. repetitae sunt. Deus nempe scriptoribus hagiographis libror. V. et N. T. etiamsi iisdem non semper singula verba, et constructionem verborum dictaverit, tamen inspiravit sensum: eloquendi verò laborem eis reliquit, ita tamen ut eos non permitteret errare contra sensum a Spiritu s. intentum; sicut apostoli in dicendo vel praedicando evangelio laborabant, dum ex instinctu Spiritus s. locuti sunt. Hoc supposito:

R. Ad 2 dist. auctor L. II Machab. petit veniam, si minus digne quoad elegantiam sermonis scripserit, conc.; si contra veritatem scripserit, neg. Ad 3 sibi concedendum ait, si minus eleganter; non autem si minus vere scripserit. Ad 4 pariter dico, horum verborum, Si minus digne, ut historiae competit, sensum esse, si minus eleganter. Rationem additam, dist.; veritas tantum competit historiae, neg.; etiam elegantia sermonis, conc. Ad 5 similiter dist. Suam historiam comparat nec puro vino, nec purae aquae, sed vino aquae mixto, comparat, inquam, quoad veritatem, neg.; quoad elegantiam sermonis, qui non semper exactus esse debet, conc. Ad 6 neg. ant. Nam s. Paulus sermonis elegantiam a sensu divinitus inspirato clare distinguit (1) dicens: *Existimo, nihil me minus fecisse a magnis apostolis. Nam etsi imperitus sermone* (en! defectum elegantiae sermonis), *sed non scientia*, en sensum! Quod autem scriptor L. II Machabaeor. tantum loquatur de phrasi seu elegantia sermonis, prob. I. Quia iuxta textum graecum histo-

(1) II. Cor. c. 11, v. 5 et 6.
(2) II. Mach. c. 13, v. 39.

riam suam vocat σύνταξιν, compositio-nem: *Ei μὲν καλῶς καὶ εὐδίατος τῆ συντάξει, τοῦτο καὶ αὐτὸς ἤθελον. Si quidem pulcre et competenter syntaxi i. e. compositioni (2); hoc et ipse velim.* *Ei δὲ εὐτελῶς καὶ μετρίως. Si autem exiliter et modice: τοῦτο ἐρεκεῖν ἦν μοι: hoc attingibile fuit mihi.* II. Quia comparisonem cum vino diluto non affert, nisi pro excusanda elocutione, prout patet ex v. 40 ubi vulgata nostra habet: *Sicut enim vinum semper bibere aut semper aquam contrarium est, alternis autem uti, delectabile: ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus.* Textus vero graecus eundem versum his verbis proponit: *Ὅν δὲ τρόπον οἶνος ὕδατι συγκρασθεῖς ἦδὲς, καὶ ἐπιτεροπῆ τὴν χάριν ἀποτελεῖ, οὕτω καὶ τὸ τῆς κατασκευῆς τοῦ λόγου τέρεται τὰς ἀκοῆς τῶν ἐντυγχανόντων τῆ συντάξει. Quo autem modo vinum aquae mixtum dulcem ac delectabilem gratiam perficit, ita et praeparatio sermonis delectat auditus legentium historiam. Quae praeparatio sermonis (sicut et accuratio, vel exacta-ratio sermonis) certe pertinet ad elegantiam, sermonis; ergo cum scriptor l. II Machab. veniam petit, pro modo et stylo scriptionis veniam petit, non pro sensu divinitus inspirato.*

SCHOLION. Sunt quidem adhuc alia, quae protestantes, aliive adversarii contra divinitatem I et II libri Machab. obiciunt. Sed cum ea passim apud theologos et polemicos (ubi de purgatorio et suffragiis pro defunctis agunt), vel apud alios auctores (3) soluta reperiantur, et praesens volumen praefixum modum iam excesserit: benignus lector nobis ignoscet, si scribendi de veteri testamento hic finem faciamus.

(3) Talis praeter alios est cl. Hermannus Goldhagen p. 2 introduct. in s. Scripturam, sect. 4, pag. 346-374.

INDEX

PARS IV.

TOBIAS, IUDITH, ESTHER ET IOB

SECTIO I.

De libro Tobiae.

- Quaestio 1. Utrum liber Tobiae, alique libri deutero-canonici, quos Tridentinum in canone sacrorum librorum posuit, inter canonicas Scripturas recte a catholicis censeantur pag. 5
- Quaestio 2. Quo sensu de amicis Iob, qui cum consolandi causa (Iob c. 2, v. 11) accesserant, dici possit (Tob. c. 2, v. 13): *Beato Iob insultabant reges*. An amici Iob fuerunt reges? Et, an consolari est insultare? » 19
- Quaestio 3. Quomodo (Tob. c. 1, v. 2) absque laesione veritatis dici possit, quod senior Tobias captus fuerit in diebus Salmanasar regis assyriorum; cum tamen alibi (IV. Reg. c. 15, v. 29) expresse dicatur, quod *Theglathphalasar*, qui illum in regno assyriorum praecessit, *ceperit universam terram Nephthali* (ex qua etiam erat Tobias iuxta Tob. c. 1, v. 1) *et in assyrios transtulerit*. » ibi
- Quaestio 4. An non sit antilogia seu contradictio, dum (Tob. c. 3 v. 7) Sara, quam in uxorem habiturus erat Tobias iunior, dicitur habitasse in Rages civitate medorum; cum tamen postea, quando Tobias cum angelo Raphaële (Tob. c. 4, v. 21) pervenit ad locum, ubi erat Sara, inde miserit hunc angelum (Tob. c. 9 v. 5) ad Gabelum habitantem in Rages civitatem medorum. Quomodo angelus ex Rages civitate medorum, in qua tam ipse quam Tobias et Sara iam erant, potuit mitti in eandem civitatem ad Gabelum. » ibi
- Quaestio 5. An non fabulam sapiat, quod (Tob. c. 3, v. 8) narratur,

scilicet Saram traditam fuisse septem viris, et daemonium nomine Asmodaeus occidisse eos, mox ut ingressi sunt ad illam. Item, quod in versione graeca lxx interpretum (Tob. c. 6, v. 15) dicitur, nimirum Saram fuisse adamatam a daemonio. Quis enim credat daemonem, qui est spiritus prorsus incorporeus, carnaliter dilexisse Saram, et ex zelotypia septem illos viros occidisse? pag. 24

Quaestio 6. An a mendacio excusari possint, quae angelus Raphaël in libro Tobiae dixisse legitur, e. g. dum (Tob. c. 5, v. 7) interrogatus a Tobia iuniore, unde esset, respondit se esse *ex filiis Israël*. (2) Aut, dum de via in Mediam interrogatus (ibid. v. 8) ait: *Novi, et omnia itinera eius frequenter ambulavi et mansi apud Gabelum fratrem nostrum*. (3) Aut, dum rogatus de familia sua (ibid. v. 18) inquit: *Ego sum Azarias, Ananiae magni filius*. (4) Aut, dum ad quaestionem Raguelis, unde ipse et Tobias iunior essent (Tob. c. 7, v. 3), respondit: *Ex tribu Nephthali sumus ex captivitate Ninive*. Nonne cum Witackero calvinista ex his merito concludi potest, librum Tobiae non esse canonicum, cum angelum Dei mendacem exhibeat? » ibi

Quaestio 7. An non asiaticas fabulas sapiant, quae in libro Tobiae (c. 6, v. 8 et 9) de pisce et fumo cordis eius referuntur his verbis: *Cordis eius (i. e. piscis) particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus daemoniorum, sive a viro, sive a muliere, ita ut ultra non accedat ad eos*. Et iterum: *Incenso iecore piscis fugabitur daemonium*. Sed quid daemonio cum fumo piscis? (2) Item de dae-

- monio (Tob. c. 8, v. 3) *reliato in deserto superioris Aegypti*. At quomodo spiritus ligari potuit? (3) *Decane* (Tob. c. 11, v. 9) *praecurrente*, et reditum Tobiae iunioris *blandimento caudae suae* quasi praenuntiant. Nunquid haec et similia in episodiis pie fabulae ad consolandos in captivitate iudaeos excogitatae censi possunt? pag. 25
- Quaestio 8. Quomodo Tobias senior (Tob. c. 14, v. 7) de exustione templi hierosolymitani tanquam de re praeterita loqui potuerit: *Domus Dei, quae... incensa est, reaedificabitur*; cum tamen haec incensio diu post mortem Tobiae contigerit. Nonne haec ansam praebent suspicandi, quod aliquis impostor primum post eversionem templi salomonici et Hierosolymae librum Tobiae confinxerit? » 26
- Quaestio 9. Quomodo Tobias senior (Tob. c. 14, v. 6) eversionem urbis Ninive praedicere potuerit his verbis: *Prope erit interitus Ninive*; cum tamen ex historia certum sit, quod Ninive iam ante Tobiae tempora diruta fuerit. » ibi
- Quaestio 10. Cur Iosephus iudaeus gesta Tobiae, si vera sunt, ne verbulo quidem attigerit sive in sua historia de antiquitatibus iudaicis, sive alibi. » 27
- SECTIO II.
De libro Iudith.
- Quaestio 1. An liber Iudith sit vera historia. » 28
- Quaestio 2. An historia Iudithae ante vel post captivitatem babyloniam, aut quo tempore contigerit. » 50
- Quaestio 3. Cur Iosephus iudaeus de historia Iudithae altum sileat. » 54
- Quaestio 4. An liber Iudith sit canonicus. » ibi
- Quaestio 5. Quomodo absque errore in re historica (Iudith c. 1, v. 1) dici possit: *Arphaxad... rex medorum... aedificavit civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatani*; cum tamen ex Diodoro constet, quod hanc civitatem iam ante regem Arphaxad aedificaverit Deioeces medorum rex. » 40
- Quaestio 6. Quomodo salva veritate (Iudith c. 1, v. 5, dici possit: *Nabuchodonosor rex assyriorum, qui regnavit in Ninive civitate magna, pugnavit contra Arphaxad*; cum tamen tempore Nabuchodonosoris iam destructa fuerit Ninive.
2. Quis fuerit ille Nabuchodonosor. Certe Nabuchodonosor alias dicitur regnasse in Babylone, et non in Ninive civitate Assyriae. p. 40
- Quaestio 7. Quomodo illud (Iudith c. 2, v. 7): *Tunc Holofernes dinumeravit viros in expeditionem... 12,000 equitum*, concordet cum alio Scripturae loco (Iudith c. 7, v. 2), ubi dicitur, quod omnino fuerint equites 22,000. » 42
- Quaestio 8. Quomodo (Iudith c. 3, v. 11) dici possit, quod *Holofernes, pertransiens Syriam Sobal venerit ad Idumaeos in terram Gabaa*; cum tamen Gabaa sit in tribu Benjamin prope Hierosolymam, cui utique Holofernes non appropinquavit. » ibi
- Quaestio 9. Quomodo, in libro Iudith (c. 4, v. 14) ubi sacerdos magnus illius temporis vocatur Eliachim, concilietur cum cap. 15, v. 9, ubi Ioaachim appellatur. » ibi
- Quaestio 10. Num credibile sit, quod Holofernes dux assyrius ignoraverit, qualis populus sint hebraei, et principes Moab et duces Ammon interrogaverit (Iudith c. 5, v. 3) his verbis: *Dicite mihi quis sit populus iste... aut quae et quales, et quantae civitates eorum; quae etiam sit virtus eorum, aut quae sit multitudo eorum; vel quis rex militiae illorum*. Quis enim credat, assyriorum ducem tanta gentis hebraeae ignoratione laborasse; cum tamen inter ipsos assyrios in urbe Ninive non pauci gentis hebraeae degerent, et ipse iudaeorum rex Manasses ante aliquot annos a ministris regis assyriorum in Chaldaeam captivus abductus fuerit. » ibi
- Quaestio 11. Quomodo Achior dux ammonitarum (Iudith c. 5, v. 22 et 23) de hebraeis dicere potuerit: *Nam et ante hos annos cum recessissent a via (mandatorum Dei) exterminati sunt praeliis a multis nationibus, et plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, et ascenderunt montana haec omnia, et iterum possident Ierusalem, ubi sunt sancta eorum*. Quenam haec hebraeorum captivitas? Quis hic re-